

\_Lettera\_N\_1955

Al papa Pio IX

Beatissime Pater,

Roma, poster. 3 aprilis 1874

Joannes Bosco Sacerdos, ad Sanctitatis tuae pedes provolutus filiali supplicatione exponit pro Salesiana Societate, quam absoluta approbatione, magno bonitatis tuae argumento, ditare dignatus es die 3 aprilis hoc currente anno 1874. Ut sodales ad novitiatum recipi possint praescribuntur litterae testimoniales Ordinarii originis, vel domicilii in cuius dioecesi post decimum quintum aetatis annum tyronus per annum commoratus fuerit.

Haec acceptionis perutilis et quoquo versum laudabilis conditio aliquas non leves difficultates apud nos ingerit:

1° Ejusmodi praxis in nostris regionibus ignoratur, ideo ab Ordinariis aliud quam id, quod petitur, declaratur.

2° Alii vero cum postulantis vivendi rationem penitus ignorent, litteras testimoniales relaxare recusant.

3° Nonnulli tandem, moti penuria clericorum, testimoniales litteras recusant, permissum religionem ingrediendi denegant, atque enixis verbis alumnos in saeculo retinere satagunt.

4° Additur alia potior ratio: pro Salesiana Societate. Etenim qui ipsam ingredi petunt fere omnes ante praedictam aetatem et jam a pluribus annis in nostris collegiis aut convictibus commorantur; ita ut eorum vivendi ratio ab episcopis omnino ignoratur.

Hisce pensatis et humillime expositis petitur a summa bonitate tua, ut istae litterae testimoniales non ab Ordinario sed a proprio parrocho relaxari possint, a quo certe parochianorum vita et mores vel cognoscuntur vel cognosci facillime possunt.

Hoc enim jam a Sanctitate tua latius concessum est Passionistis, qui propterea absque testimonialibus Ordinariorum sodales ad novitiatum admittere possunt, vitae vocis oraculo sub die 6 Martii 1848.

Joannes Bosco Sacerdos